

Miscellen.

De Strabonis loco.

Strab. XVII, p. 797 Cas. (= Polyb. XXXIV, 14): 'Ο γούν Πολύβιος γεγονώς ἐν τῇ πόλει, scil. ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ, βδελύττεται τὴν τότε κατάστασιν καὶ φησι τρία γένη τὴν πόλιν οἰκεῖν, τὸ τε Αἰγύπτιον καὶ ἐπιχώριον φύλον ὄξύ καὶ *πολιτικόν, καὶ τὸ μισθοφορικόν βαρὺ καὶ πολὺ καὶ ἀνάγωγον. . . τρίτον δ' ἦν γένος τὸ τῶν Ἀλεξανδρέων οὐδ' αὐτὸ εὐκρινῶς πολιτικόν διὰ τὰς αὐτὰς αἰτίας κτλ. Vocabulum πολιτικόν (civile, commune), cum indoles laudabilis significetur, depravatum esse apparet. Nam e verbis Πολύβιος βδελύττεται τὴν τότε κατάστασιν et οὐδ' αὐτὸ εὐκρινῶς πολιτικόν videtur liquere Polybium omnes Alexandrinorum classes, non unam reprehendere. Quare ut contextum restituerent, Tyrwhittus ante πολιτικὸν negationem οὐ inseruit, Kramerus vero proposuit ἀπολιτικόν (a solo Cicerone Attic. 8, 20 adhibitum idque longe alio sensu). At mea quidem opinione notio negativa οὐ π. vel ἀπ. talis in sententiarum conexu haud ita est apta. Neque enim eo modo, ut deesse virtutem quandam incolis Alexandriae dicat, Polybium de illorum moribus disputaturum esse desideramus, sed ita, ut ostendat, quales re vera prae se ferant naturas. Nam verbis οὐδ' αὐτὸ εὐκρινῶς πολιτικόν, quibus eluceat etiam τὸ ἐπιχώριον φύλον εἶναι οὐ πολιτικόν, minime prohibemur adiectivo alius etymologiae locum corruptum sanare, dummodo talem pro πολιτικόν substituaamus vocem, qualis idem fere significet quod οὐ πολιτικόν. Hanc viam ingressus Muelllerus scripsit ὀχλητικόν. Sed ut omittam hoc vocabulum uno loco Procli (paraphr. III, 18) servatum ab alio aliter verti, confidam leniorem in modum Strabonis contextum corrigi posse. Pro πολιτικόν enim conicio πολυδίκον. Sententia adiectivi πολυδίκος, quo homines rixarum litiumque amantissimi alio quoque Strabonis loco significantur (XV, p. 709 τὴν ἀπλότητα ἐλέγχεσθαι ἐκ τοῦ μὴ πολυδίκους εἶναι. cf. Plat. leg. XI, p. 938 B πολυδικεῖν) optime quadrat ad οὐδ' αὐτὸ εὐκρινῶς πολιτικόν et ad ὄξύ. Re vera autem Alexandrinos πολυδίκους fuisse hisce ex locis satis constat:

Dio Chrysost. XXXII, p. 366 (cf. Friedlaender, Sittengeschichte Roms Bd. I, S. 75) ἐρίδων ὑμῖν (id est Alexandrinis)

φύεται πλῆθος καὶ δικῶν καὶ γλῶτται βλαβεραὶ καὶ ἀκόλαστοι, κατήγοροι, συκοφαντήματα, γραφαί, ῥητόρων ὄχλος. — Marcell. XII cp. 16, 23: homines autem Aegyptii sunt *controversi* et *rescenes acerrimi*; XII, cp. 6, 1: Aegyptii genus hominum *controversum* et *adsuetudine perplexius litigandi* semper *laetissimum*.

Zittavae.

Ricardus Kunze.